

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia**

Tribus Tomis comprehensa

Opvscvla Spiritvalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae  
Christiana. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De  
Sacrificio Missae. VI. De Discretione Spirituum ... Operum Eminentiss.  
Cardinalis, Tom. I

**Bona, Giovanni**

**Parisiis, 1677**

§. 30. Radix omnium malorum amor sui

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9969**

## §. XXX. Radix omnium malorum amor sui.

**P**ostquam primus hominum parens se ipsum immo-  
deratè amans in grande illud peccatum lapsus est , per  
quod totum genus humanum morti , ignorantiae & con-  
cupiscentiae obnoxium generatur & nascitur , tantâ cali-  
gine natura nostra repleta est , tantoque pondere ad ter-  
ram allisa , ut Deo relieto in se ipsam deflexerit , & amissio  
sensu spiritualis jucunditatis ad sensuum voluptates effusa  
sit. Hinc dira tyrannis orta est , quam pessimus virtutum  
omnium hostis amor sui in omnes exercet , cuius imperio  
obsequentes nihil in nostris operationibus quærimus , nisi  
commoda , honores & delicias . Legi enim Dei caro non  
est subiecta , neque enim potest. Rom. 8. 7. sicut ait Apo-  
stolus : omnes siquidem ejus instinctus & motus ad pec-  
catum impellunt , & in horribili damnationis statu nos  
constituunt. Nihil verò commodis nostris magis adver-  
satur . quām proprius amor , qui ad ea quærenda tanto  
nos ardore impellit. Cum enim Deus omnia referri ad se  
tanquam ad ultimum finem præceperit , qui se in omnibus  
& suam utilitatem respicit , nihil certè ex operibus suis  
refert , quod sibi utile sit ad vitam æternam promeren-  
dam , ergo , ut ibidem infert Doctor gentium . *Debitores*  
*sumus non carni* , ut secundum carnem vivamus. *Si enim*  
*secundum carnem vixeritis* , moriemini : *Si autem spiritu fa-*  
*cta carnis mortificaveritis* , vivetis. Ad hoc urget nos Chri-  
stiana religio , ut sicut exhibuimus membra nostra servire  
immunditiae & iniquitati ad iniuriam , ita ipsa exhibe-  
amus servire justitiae in sanctificationem. *Sancti eritis* , dicit  
Dominus , quia ego sanctus sum. Levit. 11. 45. Amor sui  
& propensio ad propria commoda impedit intellectum ,  
ne principia & documenta christianæ vitæ percipiat. Quis  
enim poterit amanti se ipsum persuadere omnia , quæ dili-  
git naundus vana esse & nullius momenti : honores &  
dignitates nihil aliud esse , quām splendidam servitutem &  
afflictionem spiritus : viri foris & magnanimi esse ignos-

N iiiij

cere inimicis & his qui oderunt nos benefacere: satius esse divitias spernere quam habere: glorioius esse propter Deum subesse, quam dominari: laudabilius vincere se ipsum & coercere appetitum, quam munitissimas armes expugnare? Hæc sane dura videntur & incredibilia diligent se ipsum, quia immoderato sui amore quasi vinculis, & catenis inextricabilibus terræ affixus solis terrenis commodis, ac delectationibus alligatur. Filii autem Dei spiritu Dei aguntur, ut non secundum carnem, sed secundum spiritum vivant. Quod si quædam opera carnis faciunt, ex quibus expediri in hac mortalitate non possunt, ad ea se duci non sinunt ex proprio sui amore, sed ex principio supernaturali, prava desideria continuâ carnis maceratione coercentes. Aiunt sui amatores discretionem in his, quæ ad corpus spectant, necessariam esse: sed illa optanda & adhibenda, quæ de cœlo est; nam prudentia carnis mors est.

§. XXXI. *Amor sui Babylonem edificavit.*

**C**onstituit Deus hominem in paradyso, sed ab Adamo, in quo omnes peccavimus, à paradyso in hunc mundum, à Ierosolymis in Babylonem, à patria in exilium, à libertate in servitutem, ab integritate in corruptionem, à vita in mortem translati sumus. Sic collapsi à veritate in vanitatem, non solum similes evasimus vanitati, sed ut ait Psalmus, *Vniversa vanitas omnis homo vivens.* Psal. 36. 6. Vanus est enim secundum corpus, quod in corruptionem & mortem definit; vanus secundum animam, quæ serviens iniquitati se ream mortis æternæ facit: vanus quoad exteriora quæ pereunt & in morte relinquenda sunt. Hanc tamen vanitatem ardenti amore prosequimur, hæc mendacia sollicitè quærimus, quæ infinitis erroribus nos implicant & ex civibus supernæ Jerusalem cives efficiunt diabolicæ Babylonis. Has duas civitates duo amores fecerunt: nam civitatem Dei Jerusalem fecit amor Dei usque ad contemptum sui; Sathanæ vetò civitatem, quæ